E. Lib. Soc. Med. Chir. Abred

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

PULSUS VARIETATIBUS

CONTINENS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PULSUS VARIETATIBUS:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS *RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS*,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES MACREDIE,
Scotus:

COLLEG. REG. CHIRURG. EDINBURG. PERMISS.
SOCIET. REG. MEDIC. EDIN. SOCIUS,
ET
MEDIC. JUNIOR. IN VALETUD. REG. EDIN.
ADJUTOR DOMESTICUS.

Feci quae potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae coëgerunt. CICERO.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXXIII.

VIRO OPTIMO

THOMÆ SPENS, M. D.

COLLEG. REG. MEDIC. EDIN. SOCIO.

VALETUD. REG. EDIN. MEDICO,

&c. &c.

CUI

OB MULTA BENEFICIA ET MONITA UTILISSIMA,

DUM AEGRIS IN VALETUD. EDINENS.

EI DEMANDATIS

CLERICUS MEDICUS INTERFUIT,

ACCEPTA REFERRE DEBET,

HANC OCCASIONEM

GRATIAS PERSOLVENDI

LUBENTISSIME ARRIPIT

AUCTOR.

VIRO EXIMIO

JACOBO HOME, M.D.

MEDICINAE PRACTICAE IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI DIGNISSIMO,

&c. &c.

NON MINUS PERITIA SUA MEDICA,

QUAM

BENEVOLENTIA, PIETATE, ET MORUM BENIGNITATE,

INSIGNI;

BENEFICIIS QUAMPLURIMIS DEVINCTUS,

HOCCE OPUSCULUM,

ANIMI GRATISSIMI,

PIGNUS

D. D. DQUE.

JOANNES MACREDIE.

VIRO SPECTATISSIMO

ANDREAE DUNCAN, JUN. M. D.

MATERIAE MEDICAE IN ACADEMIA JACOBI VI.

PROFESSORI ORNATISSIMO,

&c. &c.

VIRTUTIBUS PUBLICIS AC PRIVATIS

PARITER INSIGNI;

PROPTER PLURIMA BENEFICIA IN SE BENIGNISSIME

COLLATA,

ET NUNQUAM OBLIVISCENDA,

HOC TENTAMEN ACADEMICUM,

ANIMI GRATISSIMI

TENUE TESTIMONIUM,

CONSECRAT

AUCTOR.

GULIELMO CAROLO MACDONALD,

ARMIGERO,

COLLEG. REG. CHIRURG. EDIN. PERMISS.

SOCIET. REG. MEDIC. EDIN. SOC. EXTRAORD.

&c. &c. &c.

JOANNES MACREDIE,

S. P. D.

Tibi, Amice dilectissime, has studiorum primitias, propter plurima beneficia, quae erga me, dum studio medicinae incumberem, liberrimè contulisti; et propter solicitudinem verè paternam, quam pro bono meo semper evicisti, sacras esse volui. Opusculum hocce, quale est, pignus sincerum, pertenue quidem, animi in aeternum grati, vir carissime, accipias oro.—VALE.

PATRI SUO CARISSIMO

GULIELMO MACREDIE,

ARMIGERO,

OB INNUMERA IN EUM COLLATA BENEFICIA,

A TENERIS USQUE ANNIS,

NUNQUAM OBLIVISCENDA;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

IN RE MEDICA,

PEREXIGUUM QUIDEM, SED

ANIMI GRATISSIMI

PIGNUS,

SACRAS VULT

FILIUS

JOANNES MACREDIE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

PULSUS VARIETATIBUS

CONTINENS.

AUCTORE JOANNE MACREDIE.

ACADEMIA nostra celeberrima auspiciis, cujus scientiam medendi per hosce annos excolui, statuta solemnia, sive leges certas, omnibus proposuit, qui honores suos summos in medicina obtinere volunt. Mater alma nostra, igitur, jussit, neminem gradum doctoratûs in medicina rite aut legitime appetere posse, nisi dissertationem arti Appollinari pertinentem examini eruditorum prius subjecerit; quapropter mihi in animo est, Numine volente, quaedam de varietatibus pulsûs in genere humano notare, res quae, uti-

que opinor, attentionem medici plurimum vindicat, non solum ut praesentiam morbi detegere queat, sed ut justam medendi rationem sibi proponere possit.

Si libros veterum auctorum perscrutemur facile apparebit notitiam varietatum pulsûs eis haud defuisse, nam HIPPOCRATES, ipse medicinae pater, monet, statum pulsûs in morbis bene notandum esse, quo medicus prognosin rectam melius praedicere queat; et CELSUS, quoque, de pulsu quaedam non inconcinne scripsit, quanquam ex operibus ejus videtur, se huic rei fidem plenam tribuere noluisse. *

Multas observationes tum utiles ac bonas de statu pulsûs nobis GALENUS tradidit. Sed hic auctor tamen de illa re nimis copiose tractavit, nam de magnitudine pulsus solummodo disserens varietates fere viginti exhi-

* CELSUS de re Medica, Lib. III. c. 6.

buit, quae apud hodiernos pro nihilo sunt et uti decet merito negliguntur.

Nec medici recentiores de pulsu siluerunt, sed vestigia medicina patrum studiosè calcantes hanc rem magis in aperto posuerunt et farragine antiquorum exuta de pulsus natura, historia, rationibus causisque breviter sed luculenter scripserunt. Inter eos qui hanc partem scientiae nostrae feliciter coluerunt, LOWERUS, BORELLUS, et FLOYERUS locum primum tenere debent.

Ad statum numerumve pulsus major pars medicorum veterum haud spectare consuevit, nec apud eos in usu fuit ictus arteriarum tempore dato numerare.

Initio seculi praeteriti tamen, JOANNES FLOYERUS, Eques, qui artem salutiferam laude maxima exercuit, pulsationes arteriarum spatio dicto primus dinumerare instituit et ad hunc finem machinam in auxilium vocavit cui nomen "Pulse Watch" imposuit.

Quanquam verò consilium et inventoris ac machinae medicis istius temporis bene innotuit, spatium haud breve quidem intercessit antequam exemplum ejus imitatores invenit.

In paginis sequentibus, si Deo placet, animus fert ut pauca de naturali pulsu generis humani ab aetate ineunte usque ad ultimam imprimis disserere aggrediar, deinde ut de illis varietatibus loquar quas natura corporum et diei tempus evocare solet. His peractis, ad varietates pulsus morbidas, scilicet, frequentiam, robur, &c. jamjam descendere volo, paucisque aliis breviter notatis metam laborum attingere spero.

I.

DE PULSU NATURALI.

Ictus arteriarum tempore definito tanto frequentiores reperiuntur, quanto aetas tenerior homunculo adest, et in infantibus cor cum arteriis vim tam irritabilem possidet ut pulsationes ob frequentiam ad certum numerum vix redigi queant.

Bryanus Robinson memoriae tradidit se pulsum infantis ad partum haud numerare posse, et quanquam plurimum operae ad hunc finem direxit, eventum tamen votis suis nequaquam respondisse. Intervallo dierum octo past partum, hic auctor pulsationes ad centum et quinquaginta horae minuto ascendere notavit.*

Eques Joannes Floyerus pulsum infantis in lucem nuperrime missi per minuta

* Vide Animal Economy.

horae singula, ad centum et triginta quatuor vel ad centum et quadraginta aestimare solebat,* et Doctor HEBERDEN in transactionibus medicis nos certiores fecit statum pulsus tempore supradicto hos limites fere semper tenere.

SENAC in tomo secundo operis sui "Traite "de Coeur," illas varietates pulsuum concinne ac eleganter descripsit quae a mense secundo usque ad annum aetatis duodecimum valent, et BURSERIUS in Institutis suis medicinae practicae ita scribere voluit: "In in"fantibus et pueris, arteriarum micatus ab "octoginta ad nonaginta et quinque nume"rantur."

Apud homines aetatis adultae arteriae minus frequenter pro rata parte quam in pueris aut infantibus micare videntur, sed etiam de hac re auctores medici inter sese plurimum dissident, nam alii pulsum naturalem hominis adulti ad ictus nonaginta minuto

* Vide Pulse Watch.

horae computarunt, dum aliis placuit rationem multo minorem huic aevo attribuere. Observationes tamen quas HALLERUS de pulsu naturali in homine adulto ac sano in medium protulit, magis ad veram appropinquare videntur, nam in Elementis Physiologicis de hac re scribens verba sequentia ponit. "Varietatem facit sexus, anni tempus, regio, temperamentum. Eam varietatem inter sexaginta et octoginta crediderim continere, neque infra sexaginta pulsûs facile admitterem, neque in sano homine et quiescente multum ad octaginta adderem."

FALCONERUS quoque qui haud parum operae ac laboris consumpsit, ut notitiam justam de pulsu in genere humano acquireret, modulum ejus ad pulsationes septuaginta et quinque horae partae sexagesima in homine sano ac adulto constituit, quem numerum pro norma in illis tabulis assumpsit, quas ad finem operis sui de pulsu locavit *. Has

* Vide Observations on the Pulse.

observationes FALCONERI nobis pro vero accipere licet, non solum investigare solebat, sed experimenta plurima instituit, ut hanc re m adimum explorare posset.

Inter medicos ferè omnes opinio valet, arterias in senibus sese rarius contrahere quam in infantibus aut eis quibus aetas magis floret ; et auctor celeberrimus FLOYER exempla tredecim senum nobis exhibuit, pulsus quorum omni mane ante jentaculum investigare solebat, et in his omnibus praeter unum ictus arteriarum infra septuaginta minuto horae descendere nolebant.

Pulsus in eis bonâ valetudine fruentibus, ut FALCÒNERO placet, ab anno aetatis quadragesimo quinto ad sexagesimum paulatim lentiores evadunt, post hoc tempus ut auctor idem censet adhuc tardiores fiunt et infra gradum naturalem descendere solent. Sed res non sese ita in omnibus habent, nam FLOYERUS aliique scriptores pulsum frequentem in hominibus aetate gravatis detexerunt.

II.

DE VARIETATIBUS PULSUUM.

Qui temperamento sanguineo praediti sunt eisdem arteriae multo frequentius micant, quam in melancholicis aut phlegmaticis observari solet, nam in hac classe hominum pulsationes fere semper ad septuaginta horae minuto numerantur, dum in illis quibus temperamentum sanguineum datur pulsus raro infra octoginta detegitur. In foeminis quinetiam pulsus aliquanto crebrius quam in maribus plerumque contrahitur, quod ex structura corporum molli ac irritabili pendere videtur, et in illis pulsationes arteriarum ex causis levioribus incrementum haud parvum accipere possunt.

Omnibus bene notum est pulsum in genere humano animi imperio plurimum parere, unde patet cui ejusdem perturbationes motum cordis ac arteriarum ita excitare que-

ant; dum affectus animi dolentes pulsum pro rata parte aliter mutant.

Hinc ira ac motus illi qui animum ultra modum tendere solent pulsum frequentem ac validum saepissime reddunt, dum res illae quae animum dolore ac moestitia occupant, arteriarum micatus parvos, debiles ac simul frequentes efficiunt.

Nemo arte Apollinari quam minimum imbutus ignorare potest, pulsum etiam in sanitate gradus varios temporibus diei variis tenere. Sic quum primum mane a somno ac quiete placida expergiscimur pulsus tarde et aequaliter micat, sed cursum ejus jamjam sine mora properat, et parte diei consumpta alias sibi quasi assumit propter irritamenta multa quibus corpora nostra obnoxia habent. Status corporis erectus quoque pulsûs accelerationi multum favere videtur.

In vigilantibus contractiones arteriarum paulatim crebriores fieri observantur, adeo

ut nocte appropinquante pulsus ictus duodecim vel plures minuto horae quam mane edere solet. Sed quum nosmet amplexibus somni iterum dedamus, pulsus, caeteris paribus, gradum pristinum denuò recuperat.

Nec tamen scriptores desunt qui iter huic prorsus contrarium tenere volunt, et qui etiam affirmant pulsationes per somnum non equidem pauciores esse sed augmentum potius accipere. Si pulsus per somnum hoc modo laboret, causa ejus ex origine alia quam ex mero somno quaerenda est, nec nobis multum fallemus si hanc pulsûs conditionem coenae gravi, cubiculi aëri impuro, aut calori corporis nimio tribuamus.

Postquam ingesta solita sicuti cibus potusque noster in ventriculum descenderint, arteriae frequentius contrahere incipiunt et pulsus ad ictus octo decemve horae minuto augetur, quod incrementum per horas tres vel quatuor post cibum assumptum durare solet. Si appetitum nostrum copiose exple-

amus, augmen adhuc majus pulsus accipiet, praesertim si Bacchus succo suo mensam beaverit aut si coquus suis condimentis epulas nimis stimulaverit. Pulsum motu musculorum crebrius moveri apud omnes convenit, utique ex ambulando, currendo, saltando aut ex opera corporis strenua observari potest. Robinson nos admonuit pulsum ex brachiis et cruribus valide extensis, ictus viginti parte horae sexagesima numero priori addidisse. Hic auctor quoque pulsum hominis sedentis ad ictus sexaginta et quatuor notavit, decumbentis ad sexaginta et octo; si ambulatio modica fiat pulsus, ut eidem placuit, ad ictus centum movetur, et si homo violenter currendo sese exerceat, tunc arteriae ad pulsationes centum quadraginta aut quinquaginta horae minuto ascendunt.

III.

DE VARIETATIBUS PULSUS EX MORBO.

Nemo est qui negare audebit statum pulsûs naturalem sine mora affici siquando corpora nostra in morbos infeliciter incidunt. De hac re quam breviter scribam; et, uti in parte priore opusculi mei jam dictum est, primum de frequentia pulsus, deinde de robore ejus loquar; inde ad auctores illas abnormes progrediar quibus pulsus in homine per morbos sese obnoxium habet.

DE PULSU FREQUENTI.

Pulsus frequens parti aegrorum major contingere solet, et in febribus morbisque illis quos pyrexia comitatur, pulsus frequens signum adeo commune est, ut medici antiqui et haud pauci recentiorum hunc statum

pulsus assumpserint, quo classem "Py-
"rexiae" rite distinguere possent.

Initio febrium etiam naturae mitis, pulsus ad ictus nonaginta et sex horae minuto ascendere solet, et si febris hectica adest pulsationes ad centum et octo aut duodecim numerare possunt. Quum partes internae sicuti in Pneumonia, inflammatione occupantur arteriae per digitum explorantem ad contractiones centum duodecim aut viginti vibrare reperientur.

Sed ulla computatio hujusmodi errore nequaquam vocabit, nam pulsus tam multis varietatibus proclivis est, ut de hac re cum fiducia certa nemo dijudicare queat.

In morbo illo Cynanche Tonsillaris designato, vibrationes arteriarum ad centum duodecim aut viginti respondebunt, et tamen vita aegri incolumis erit, sed quum in Cynanche Laryngea pulsus cursum tam cele-

rem tenet, tunc metus erit ne exitus fatalis aegrum nostrum e luce corripiat.

Infantes febre laborantes etiamsi haud generis gravis sit, pulsum admodum crebrum habent, et ad ictus centum et septuaginta aut octoginta horae minuto properabit et vita parvuli nihilominus in discrimine nullo versabitur. In his exemplis medici periti erit nullam prognosin de morbo ex pulsu solo formare, sed conditione aegri, vultus anxietate, appetitus defectu et inquiete cum cute arida perspectis, tunc fortasse judicium rectum poterit formare.

Pulsus quoque in febre incrementum magnum accipere solet si aër purus in cubiculum aegri non libere fluat. Sed quum spiritum gratiorem pulmones trahere incipient, pulsus non solum ad statum priorem redire gaudebit, sed aegri, viribus refectis, morbus levior fit, et levamen malorum jamjam accedit.

Motus musculorum, praesertim si febre laboremus, conditionem pulsus in mirum modum accelerat, hinc cura summa danda est, ut homines ita oppressi, quiete et silentio teneantur. Si huic rei attentio fiat, pulsus, qui vespere ultra limites transierat, post somnum placidum fere ad naturam micabit.

DE PULSU TARDO.

Pulsus hujusmodi sese nobis frequenter ostendit, et originem suum ex defectu stimuli istius ducere videtur, quô cor ad munera sua excitari debet, aut ex corde ipso propter rationes satis evidentes minus irritabili facto. Haec conditio pulsus in cerebro compresso plerumque valet, sicuti in Hydrocephalicis observatur, et haec tarditas pulsus in eis ita affectis naturam mali ostendere solet.

Pulsus admodum tardus eis a febre diutinâ convalescentibus saepissime datur, et ad

ictus quinquaginta horae parte sexagesima nonnunquam descendit. Hoc ex viribus corporis fractis oriri possit, aut quum proclivitas ad Anasarcam aegrum occupare minatur, utique post Scarlatinam saepius apparet, nonnulla exempla cujus in Nosocomio nostro regio ipse nuperius vidi.

Tarditas vel raritas pulsus etiam post quaedam narcotica diu exhibita saepe evenit et haec conditio circuitus usu Digitalis Purpurae optime inducitur. Haec medicina aegro porrecta est, qui in Nosocomio nostro Anasarca laborabat, et die tertio postquam medicus remedium intermitti jussit, pulsus ictus quadraginta minuto horae edidit, et ita per dies septem respondit donec statum priorem gradatim assumere coepit.

Exempla hujusmodi haud pauca notavi, in quibus effectus peculiaris hujusce medicinae raritatem pulsus inducendo maxime valuit, et ubi haec conditio circuitus depressa, etiam post remedium intermissum, per plures dies manere voluit.

DE MAGNITUDINE PULSUS, ROBORE, &c.

Ille pulsus nominatur magnus ubi diametros arteriae per dilatationem ejus quam maxime ampliari solet, et quum vibratio valida contractionem ejus comitatur. Robusti et athletici hoc pulsu prae aliis esse praediti videntur, et idcirco in viris frequentius quam in sexu amabili valet. Haec conditio pulsus quinetiam sese Apoplexiae morbisque lethargicis comitem jungere gaudet, et si fides scriptis aliorum adhibenda sit, quo major pulsus in eis micabit, tanto graviore periculo, caeteris paribus, homines ita affecti versabuntur.

PULSUS DURUS.

Quum ventriculus cordis sinister subito ac celeriter contrahitur, et quum fibrae illae quibus arteriae instruuntur, quodammodo

indurescunt vel spasmo affici videntur, tunc pulsus durus apud medicos adesse dicitur.

Haec conditio pulsûs ex sanguine viscido facto oriri putatur; et ex causis aliis, quae reditum hujusce fluidi per venas impediunt.

Pulsus durus omnes illos morbos plerumque comitatur in quibus inflammatio aegros graviter urget, veluti in Pleuritide, Rheumatismo acuto et similibus malis fere semper accidit, praesertim si homines ita correpti sanguine abundent, aut si structuram corporis validam possideant.

Quo hunc statum circuitûs morbidum quam citissime amovere possimus, nihil praesentius auxilium quam sanguinis missio pro re nata promittit.

PULSUS VALIDUS.

Pulsus hoc nomen accipit siquando san-

guis versus parietes vasorum violentiâ insolita agitur, digitumque medici explorantis vehementer impellit, dum ictus arteriarum eodem tempore supra modum naturalem numerari possunt. Hic pulsus provenire solet quum vis sanguinis nimia in arterias immittitur, et quum cor ipsum adeo irritabile redditur, ut quicquam naturae stimulantis tolerare nequeat.

Frequentissima vero causa pulsûs validi ex actione cordis ac arteriarum incitata pendere videtur, quo fit ut sanguis rivo nimio in arterias transit, et his idcirco probe distentis, contractio valida per digitum nostrum percipi potest.

Pulsus validus eis potissimum datur qui valetudine bona et viribus corporis praediti sunt, eisque etiam qui vitam suam sudore vultûs tolerare coguntur, debilibus rarò contingit.

Pulsus ad hunc modum plerumque micat

siquando Synocha, Pneumonia, aut tales plagi genus humanum lacessant, in quibus ad missionem sanguinis nos sine mora confugere oportebit.

PULSUS PARVUS.

Quum diametros arteriae etiam per amplificationem ejus parum dilatationis subit et quum corde ipso contrahente parietes tubi nequaquam distenduntur, tunc pulsus parvus nominatur.

Talis conditio pulsûs in maribus nonunquam detegitur, sed in foeminis est ubi hunc pulsum frequentius adspicere poteris, praesertim si corpus tenerum et fibrae molles eodem tempore adsint. Pulsus quoque in valde plethoricis et obesis interdum parvus micare videtur, quae res adipi plurimo vibrationes arteriarum impediente forsan attribui possit.

Debilitas cordis ipsius hanc conditionem pulsus morbidam inducere valet, quo fit ut sanguis undâ haud satis magna in arterias fluit, aut parvus pulsus ex sanguine ipso plurimum imminuto oriri potest, quapropter parietes vasorum ad digitum explorantem vibratione valida respondere nequeunt. Quum genus nervosum a statu sano aberraverit vel quum vis vitalis imminutionem magnam subierit, tunc pulsus parvus saepissime obvenit, utique post sanguinem copiosè vel frequenter detractum vel post Haemorrhagias naturales observari solet.

Pulsus hujusmodi quoque febribus multis per decursum totum sese comitem jungere gaudet, et quum, sub finem morborum in quibus inflammatio aegros graviter vexavit, arteriae tali modo vibrare volunt, signum pessimum est omenque fatale fere semper indicat.

Hystericis et eis Phthisi Pulmonali infeliciter correptis pulsus parvus admodum fa-

miliaris est, nec in Gastritide aut Enteritide deest, in quibus malis haec pulsûs conditio medicos quosdam a sanguinis missione interdum abstinere monuit, quanquam nihil aliud praesentius bonum afferre potuit.

Mihi frequentissime contigit plurimos in Nosocomio regio nostro Enteritide laborantes videre, in quibus pulsus valde debilis ac parvus erat, sed firmitatem ac robur eximium nihilominus adeptus est postquam sanguis e vena ad justam quantitatem fluxerat. Nemo igitur in his casibus ob pulsum parvum ad sanguinis missionem confugere recuset, sed monita Gregorii nunquam non venerandi potius in animo teneat: "In his et similibus exemplis ad naturam "mali plusquam ad statum pulsûs respicere "oportet."

PULSUS DEBILIS.

Talis circuitûs conditio qualis hunc pulsum inducere valet momentum sanguinis

imminutum clarissime indicat, nam, corde ad vigorem solitum impare facto, vibratio arteriarum sensum languidum digito communicat, dum pulsationes vî levissima etiam adhibita facile reprimi possunt. Munus saepe difficilimum est pulsum debilem a parvo discernere, sed hoc parum interest, nam hae binae conditiones ex fonte eodem profluunt, et remedia eadem agnoscunt.

Pulsus debilis non secus ac parvus ab cordis imbecillitate oriri potest sed ex tono cordis ac arteriarum imminuto potius pendere videtur.

Pulsus hujusmodi sub finem quarundam febrium praesertim Typhi fere semper micare solet, et inter signa illa numerari potest quae medico indicant exitum infaustum doloribus aegri subesse. Pulsus debilis quinetiam in morbis omnibus detegi queat, ubi vires corporis ab impetu mali detrimentum magnum acceperunt, et in memoria semper recordandum est aegros nostros peri-

culo nunquam vacare, dum circuitus sanguinis talem gradum tenere cupit.

PULSUS MOLLIS.

Hic pulsus naturam prorsùs contrariam pulsui duro agnoscit et nobis denotat arterias haud constrictas esse et illud irritamentum morbidum deesse quod duritiem pulsûs aliter inducit. Pulsus mollis foeminis multo frequentius quam maribus accidere solet et in debilibus saepissime occurit.

Quum nostra corpora quovis morbo plectuntur, ubi inflammatio aegros precipue gravat, pulsus qui antea durus fuerat, saepe mollis evadit, postquam sanguis e vena secta fluxerit, vel postquam sudor copiosus proruperit, quod signum felix est et prognosin faustam nobis plerumque suppeditat.

His nostris observationibus de pulsuum varietatibus ad finem perductis, restat nunc

tantum ut pauca dicamus de istis perturbationibus quae pulsum per morbos afficere videntur.

Pulsus ille aequalis vel regularis nominari solet ubi vis eadem et intervallum aequale ejus pulsationibus datur, et pulsus iste inaequalis vel irregularis dicitur in quo vibrationes arteriarum mensuram aequalem tenere nolunt.

PULSUS INTERMITTENS.

Arteriae ut jam notavimus, pulsationes suas intervallis aequis plerumque manifestant, sed si spatium nimis longum inter binas vibrationes intercedat vil si arteriae justo tempore sese contrahere recusent, tunc pulsus hujusmodi apud medicos intermittens nominatur.

Talis pulsùs ex causis variis originem suum trahere potest, et si cor aut vasa vicina

quavis vitio organico, sicuti tumoribus omnigenis laborent, aut in cavum Thoracis fluidum ullum contineat, quod per pressuram ejus actionem cordis impedire possit, tunc pulsus intermittens raro deest.

Si aegri igitur Hydrothorace infeliciter tententur vel si Aneurisma Aortae aut vitium aliud harum partium illos opprimat, pulsus hujusmodi saepissime observatur : In morbis omnibus acutis quoque, in febribus praesertim prope finem intermissio pulsus, ut ipse saepe vidi, familiaris est, et si multis auctoribus qui de hac re scripserunt credere vellimus, signum malum est et periculum maximum indicat.

Pulsus intermittens tamen saepe occurit ubi nihil timendum est, ut nonnullis placuit qui operam suam ac studium huic parti artis nostrae praecipue dederunt. Si talis pulsus in febribus proveniat, tunc secundum illos diarrhoea critica expectanda sit, sed si exitus fatalis spei ac votis nostris illudat,

haec calamitas, ex sententia illorum, viribus corporis fractis et exhaustis attribui debet, quae ad crisin salutarem absolvendam nequaquam valebant.

Pulsus intermittens quoque sese in Hysteria et Hypochondriasi interdum manifestat, nec in aliis affectionibus deest quae neque mortem nec ullum periculum grave minari solent. Attamen confitendum est pulsum hujusmodi in his malis naturae potius transeuntis et breviter abiturae esse, nec talem qualem in vitiis cordis aut partium vicinarum fere semper observamus. In quibusdam affectionibus generis nervosi et ubi vermes Intestina vexant febremque inducunt intermissio pulsûs haud raro notatur.

Homines nonnulli insuper sunt, quibus valetudo optima contingit sed qui nihilominus pulsum intermittentem habent. Haec circuitûs conditio senibus et pueris maxime familiaris est, et quod non minus mirandum

est, pulsus in eis regulariter micat siquando febris illos invadat, nec aegri isti ad statum sanum redeunt, donec pulsus intermittens sese iterum ostendit.

PULSUS IRREGULARIS.

Hic pulsus a vitio quovis aut cordis ipsius aut partium vicinarum plerumque oritur, veluti a valvulis in corde sitis aut illis ad ostia arteriarum positis ossificatione implicitis. A polypis etiam cava cordis obsidentibus necnon ab hoc organo nimia adipis quantitate involuto pulsus talis proficiscitur, et variae causae, quae transitum liberum sanguini per pulmones negant, eundem circuitûs statum saepissime evocant: Quapropter pulsus abnormis seu irregularis in Asthmate Hydrothorace morbisque aliis qui pulmones afficiunt admodum familiaris est.

Talis pulsus quoque in aegris qui febre continua per tempus haud breve laborârunt

saepe observatur, et ex viribus corporis fractis ac multum imminutis, necnon ex vi nervosa in cor inequaliter agente oriri videtur.

Pulsus irregularis Hysteriae Hypochondriasi et affectionibus illis sanguinis fluxu comitatis etiamque hominibus valetudine optima fruentibus nonnunquam adjungitur. Adolescentula quam Menorrhagia infeliciter vexat et quae in Nosocomio nostro jam hospitatur, pulsum admodum irregularem habet, nec vibrationes arteriarum usque ab initio mali sese aliter gesserunt.

FINIS.